







1. Huber J. S. J. diff. de fine ac quem  
homo conditus, Wittenb. 1593

2. diff. de conjugio et  
divortio, Wittenb. 1593.

3. Hülfemann J. Joh. S. J. Instructio Stu-  
dioforum, quid de phrasibus bona  
opera sunt necessaria ad vitam  
eternam, statuere habeant  
Lipsie 1616.

4. repetitio Articuli  
10 libri concordie, Lipsie  
1649



5. Hülsemann / Goh. / Breviarium theolo-  
gicum, Wittenb. 1694.
6. Diff. de vocatione et  
refusione Ministrorum sacrorum,  
Wittenberga 1695.
7. Hunnij / Jotzidij / theses de S. Coena  
et persona Christi, Wittenb. 1593.
8. Labyrinthus primus  
papisticus, Wittenb. 1602.
9. propositiones de  
Regno Christi, Wittenb. 1597.
10. theses quibus osten-  
ditur Calvinistas Augustana  
confectionis Socios non esse,  
Wittenberga 1599.
11. theses de aeterna  
predestinatione filiorum Dei  
ad salutem, Wittenb. 1599.
12. theses de predestinatione  
ne salvandorum, Wittenb. 1599.



13. Hunnig's Agidij's theses de Baptismo  
contra Jan. Tossanum, Wittenb.  
1543
14. ————— theses de providentia  
Dei, Wittenb. 1545.
15. ————— Diss. <sup>opus</sup> xvii. de Augusta-  
na confessione, Wittenb. 1543
16. ————— theses de Regno  
Christi, Wittenb. 1547
17. ————— propositiones de  
Ecclesia, Wittenb. 1546.
18. Hutteri Leob. diff. pro asse-  
rendo integro Sacramenti. Eu-  
charistici usu, Wittenb. 1600
19. ————— Analysis methodi-  
ca Augustanae Confessionis.  
Wittenb. 1548. in XXIV dispu-  
tationibus, Wittenb. 1548.
20. ————— Diss. de statu  
exaltationis Christi,  
Wittenb. 1607.



21. Lütkehana s. Joach. / diff. de  
vero homine, Wolfenb. 1650.

22. Lünigwitz / Matth. / diff. de  
questione fornicaria, an  
fides, quatenus per charitatem  
efficax, sit necessaria ad  
salutem consequendam, Lipsia  
1694.

23. ——— Lutherus orthodoxus  
Lipsia 1619.

24. Lyseri s. polyv. / diff. de  
Sacramentis N. S. Wittenb. 1593

25. Majoris s. Joh. tob. / diff. de  
tentationibus spiritualibus,  
Jena 1612.

26. ——— / diff. de Jesu Christo  
Dei et Mariae filio, Wittenb.  
1638.

27. ——— / diff. de Baptismo, Wit. 1649

28. ——— / diff. de justificatione, Wittenb.  
1613.

29. Mejer. / Gebh. Theod. / diff. de fruitio-  
ne Dei, Helmst. 1682




30 Hildebrandi, Joach. / discussio  
hereseon Arii, Helmfd.  
1656.

31 Meisner s. Joh. / diff. de Ecclesia  
Wittenb. 1651.


32 Maj / Henr. / diff. repetens  
orthodoxam doctrinam phat.  
Melanthonis in articulo 10  
v, et 11 Bavarice inquisi-  
tionis, Wittenb. 1591.

33 Pieri / Urb. / theses de  
gratuita justificatione  
hominis, Wittenb. 1591











Z.

DISPUTATIO XXIII.  
De Coniugio & Divortio  
Quam, divina fauente gratia.

*Sub praesidio*

REVERENDI  
ET CLARISSIMI VIRI,  
D. SAMUELIS HUBERI BERNEN-  
SIS HELVETII S. S. THEOLOGICAE DO-  
ctoris ac Professoris in Academia VVite-  
bergenfi, examinandam  
proponit,

M. ADAMVS VEGETIVS,  
*Gladenbachensis Hassus.*

28. Novembris.



WITEBERGÆ,  
Typis VVolfgangi Meifneri,  
M. D. XCIII.





A M P L I S S I M I S E T  
P R V D E N T I S S I M I S , A V T O R I T A -  
te, juris ac æquitatis scientia & laude  
præstantissimis Viris,

*Dn. Casparo Ziegenmengero, Questori Niddano  
fidelissimo :*

*Dn. Joanni à Iosß Eitelsachsensi.*

*Dn. Georgio VViderhold.*

*Dn. Conrado VViderhold Berstad.*

*Dn. Reinhar: VViderhold Kreinfeld.*

} Prætoribus  
integerrimis.

*Dominis affinibus ac sobrinis suis longè charissimis  
hasce Theses Theologicas offert &  
consecrat.*

M. Adamus Vegetius.





# T H E S I S I.



**D**E Coniugio ut sanctissima, ita Gen. 1. & 2. antiquissima DE I ordinatione & honestissimo Tob. 8. v. 9. vita genere, ceu seminario Ecclesie & Reipublicæ, imò cœli & terræ disputaturis, non solum quid id ipsum consummet & perficiat, sed etiam quid inchoet contrahendum & dirimat contractum, ex sacris literis tanquam Spiritus sancti archiviis inquirendum est.

## II.

Definitur autem coniugium unius maris & unius femine iuxta Dei institutionem legitima & indissolubilis coniunctio à DEO ordinata Gen. 2. ut per generationem liberorum genus humanum propagetur & conserve- Matt. 19. rur, vagæ libidines coërceantur & quilibet vas suum possideat in sanctis 1. Cor. 7. catione & honore, non in passione desiderij, sicut gentes quæ ignorant DEUM. 1. Thess. 4.

## III.

Et perficitur ut plurimum duobus modis: Sponsalibus & nuptijs.

## IV.

Quod verò Canonistæ distinguunt inter sponsalia ut sponsalia de presenti & futuro, frivolum est & cum sit periculosum ut benè animad- T. 5. Ienens. vertit D. Lutherus rectè à jureconsultis rejicitur. f. 240.

## V.

Sponsalia sunt futuri matrimonij mentio & inter eos quibus legibus licet, vel per parentes eorumve consensu ac Jacob & Rachel. Gen. 29. Mose & Zypora, Exod. 2. aut illos qui parentum sunt loco, ut tutores, ut Mardocheus, Esther, Esther 2. vel per proxenetas & auspices, ut Isaac & Rebecca per Eleasarum Gen. 24. Tobias & Sara per Raphael angelum, Tob. 7. adhibitis testibus legitime facta repromissio.

## VI.

Desponsationem semper præcessisse nuptias, cum ex veteri, tum ex Novo Testamento liquidissime comprobatur Deut. 20. v. 7. Matth. 1.

## VII.

Idè factum est, ne tanquam gentes ignorantes DEUM in con- Tob. 6. v. iugium 21. 22.

A. 9

iugium 21. 22.



Gen. 24. iugium prouerent, sed tanquam filij sanctorum cum timore Domini ma-  
Tob. 8. trimonia inirent ac praemis precibus benedictionem consequerentur.

### VIII.

Testes etiam adhibitos fuisse ut & scripturam, patet ex Ruth: cap.  
4. v. 10. & 11. Tob. 7. cap. v. 26.

### IX.

Ruth. 4. Testari autem debent de ijs, quae in sponsalibus & qualiter fuerint  
Tob. 10. promissa, utpotè de dote, de donatione propter nuptias, imprimis verò de  
& 14. consensu parentum & an personae contrahentes ad matrimonium sint idoneae.

Gen. 30.

### X.

v. 49.

Ut autem sint idoneae requiritur primum iusta aetas, quae iure  
terminatur in masculis annis 14. in foemellis 12.

### XI.

Nos etsi in cuiusq; arbitrio relinquamus, quo tempore quous anno  
1. Cor. 7. etatis matrimonium inire debeat, praesertim cum quilibet suum donum ha-  
v. 8. beat, & Chrysostomus suadeat, ut iuvenes antequam scortari discant,  
Homil. 6. in connubiali vinculo jungantur, nam semel scortis adsucti, inquit, etiam in  
Epistolam matrimonio ad assuetam petulantiam promiscuamq; impudicicam pro la-  
ad Theff. buntur: tamen magis probamus D. Lutheri sententiam, qui vult marem  
In sermone 21. & foemellam 16. vel ad summum 18. attigisse annos, & eò respexisse  
quodam de etiam sapiens videtur Proverb. 5. exhiberet te inquit, uxor, quam ad  
coniugio. lescens duxisti.

### XII.

Eph. 4. v. Vbi tamen & hoc considerandum est, ut iuvenes si non opibus a-  
28. 2. Theff. bundent, saltem necessarijs artibus seu vitae fulcris, sint instructi, quò poss-  
3. v. 8. & 12. sint familiam alere et inopem traducere vitam. Qui enim suorum &  
1. Tim. 5. maximè domesticorum curam non habet infideli est deterior & fidem  
v. 8. abnegavit. Similiter puella ita in Oeconomia educata, quemadmodum  
Syr. 36. v. Spiritus sanctus Proverb. 31. describit & requirit, tales enim inchoant poss-  
26. & 26. sessionem & constabunt rem familiarem, & vir habet sociam fidam &  
v. 12. columnam, qua consolari possit: Cum econtra ubi non est sepes, vastatur  
Prover. 12. praedium.  
v. 4. & 14.  
v. 1.

### XIII.

2. Requiritur ut personae sint liberae nec ullis alijs sponsalibus im-  
plicitae.

Sponsa.



XIIII.

Sponsalia porro dividuntur in publica & clandestina.

XV.

Publica quae publice coram pijs ac fide dignis testibus contrahuntur: Suntque licita & illicita.

XVI.

Licita quae legibus & honestati non repugnant Leu. 18.

XVII.

Contrahunturque, vel re per nudam subarrationem seu annuli missi-  
sionem, vel literis, quando absentes inter se de futuris nuptijs paciscuntur  
(ubi tamen requiritur ut contrahentes de fama vel alio aliquo modo se  
noverint, quia in omnino ignotos consentire nequeunt) vel consensu, ut si  
contrahentes non solum praesentes & scientes, sed etiam absentes & igno-  
rantes, postmodum id, quod per parentes, procuratores aut alios actum sit  
pro rato habent, ut Isaac Gene. 24.

Ge. 29. v. 18

XVIII.

Nec hac tantum pure verum etiam additis conditionibus contra-  
huntur, ut testantur exempla Iacobi Athniel, Davidis, &c.

Ios. 15. v. 16

1. Sam. 17.

v. 25.

1. Sam. 18.

XIX.

Quarum aliae sunt honestae ad matrimonij substantiam pertinen-  
tes, ut ducam te si parentes consenserint, item si ad religionem Christianam  
conversa fueris. Haec si impleta non fuerint, irrita sunt sponsalia, nisi per copu-  
lam carnalem a conditione recedatur.

v. 25.

Gen. 34. v.

15. 16. & 17.

XX.

Aliae sunt peregrinae & otiosae ut ducam te si Caesar Turcam ex-  
pugnaverit, aut turpes & cum conjugio e diametro pugnant, ut ducam  
te si foetum conceptum veneno extinguas, aut abortum facias, vel si te i-  
psam pro mercede prostitueris, aut impossibiles, ut ducam te si coelum digito  
attigeris: Haec omnes sive impossibiles de jure, sive possibiles de facto,  
propter favorem matrimonij, pro non adjectis habentur.

XXI.

Illicita quae natura ac lege refragante contrahuntur: Suntque, vel in-  
cesta vel inutilia.

XXII.

Incesta, quae contra sanguinis naturam cum propinquis contra-  
huntur Leu. 18. ut Herodes cum fratris uxore, Corinthius cum noverca.

Matt. 14.

1. Cor. 5.



**XXIII.**

Propinqui sunt qui sanguinem attingunt & certa graduum distantia numerantur ac definiuntur.

**XXIII.**

Gradus est ea generationis series, quae in unaquaque persona à stirpe seu stipite vel radice numeratur.

**XXV.**

Stirps a. est ea persona à qua aliae sunt deriuatae.

**XXVI.**

Harum linea vel est recta vel collateralis.

**XXVII.**

Recta est vel ascendentium vel descendentium.

**XXVIII.**

Linea recta ascendentium est, quae continet personas à quibus nos originem traximus, & parentum seu maiorum nomine censentur, ut patrem, matrem, avum, aviam, proavum, proaviam, abavum, abviam, atavum, ataviam, tritavum, tritaviam.

**XXIX.**

Linea descendentium est, quae continet personas à stirpe descendentes, ut filium, filiam, nepotem, neptem, pronepotem, pronepticem &c.

**XXX.**

Collateralis linea est, in qua illi sunt, qui nobis ex latere iunguntur, à quibus neq; nos originem traximus, neq; ipsi à nobis ut patruus, matertera, amita &c. sed tamen ratione stipitis nobis coniuncti sunt.

**XXXI.**

Hac itidem vel est aequalis vel inaequalis.

**XXXII.**

**Gen. 24, 29.** Aequalis quando distantia aequalis est à communi stipite ut Laban, Rebecca, Iacob, Rachel.

**XXXIII.**

**Gen. 11, v. 27.** Inaequalis cum inaequaliter à communi stipite distant ut Abraham, Loth, Isaac, Bethuel.

**XXXIII.**

In quibus verò gradibus permittantur coniugia. ex Levit. 18. cap. & ex Agendis Ecclesiasticis Augustanae confessionis Ecclesiarum promptum est.

Inuitis



XXXV.

Inutilia sponsalia dicuntur, quae tantum lege & canone, non naturā repugnante, contrahuntur, ut Iudeorum cum gentibus. Esdrae 9. Exod. 34. v. 16.

XXXVI.

Clandestina, quae vel absq̄ omnibus testibus, vel saltem absq̄ consensu parentum per lenones mercede conductos dolose conciliantur.

XXXVII.

Et haec, nisi copula carnalis intercesserit, solo parentum dissensu dissolvuntur, cum etiamsi copula intervenerit in veteri Testamento, parentum dissensus ruperit. Exod. 22. v. 16. Deut. 22. v. 28. &c.

XXXVIII.

Suntq̄, vel jurata vel injurata.

XXXIX.

Jurata, quando promissio juramento est vallata. Quod tamen iuramentum, si partes utrinq̄, re adhuc integra, remittunt, non obligat. Sin autem utrinq̄, non consentiunt, sed una pars urget ad iuramenti observantiam, altera verò renuit, tunc pars renuens non compelli, sed diligenter admoneri debet, ut servet iuramentum.

XL.

Injurata, in quibus absq̄ omni juramento sive execratione nuda fit promissio.

XLI.

Nuptiae vulgariter loquendo, sunt ipsa matrimonij celebratio seu festivitas nuptialis, quae certis quibusdam ritibus pro diversitate populorum transigitur. Iud. 14. v. 10. & 17. Tob. 3. Ioan: 2.

XLII.

Nam quidam igni & aqua nuptiarum foedera contraxerunt, eò quod humore & calore animantium foetus corporentur & auimentur ad vitam. Lactantius l. 2: divinarum instit. c. 10.

XLIII.

Alij igne per chalybem ex duro silice excusso, ut symbolice conjugalis amoris occultam & vividam flammam denotarent, & communium liberorum productionem insinuarent.

Alij



### XLIIII.

Alij antequam sponsa limen mariti transfiret, postes averrum candos-  
rum malorum causa ungebant, qui mos superstitiosus est.

### XLV.

In populo Dei V. T. junctis dextris ac invocato simul nomine I E-  
H O V Æ copulatio facta est, quemadmodum Tobia 7. v. 15. legitur, quod  
Reguel apprehendens dextram filie sue Sarae, dextra Tobia tradiderit,  
dicens: D E V S Abraham & D E V S Isaac & D E V S Iacob vobis-  
cum sit, &c.

### XLVI.

Ita etiam sub N. T. & in regno Christi, in quo omnia decenter fieri  
debent, quidam ritus observantur. 1. Ut praemissa trina proclamatione in  
publico Ecclesiae coetu honestè copulentur. 2. Ornantur coronis & cestis,  
quibus ostendunt se usq; ad hoc tempus victores fuisse cupiditatum, nec ille-  
gitimè cestum amisisse. 3. Fit in illa copulatione Ecclesiastica coram  
D E O & universis circumstantibus confessio legitimi consensus, qui à  
ministro confirmatur non tantum ritibus consuetis ut mutua annulorum  
pronuborum datione & dextrarum junctio, sed etiam pronuntiatione  
Legis divinae de harum personarum indissolubili conjunctione & promissa  
benedictione, ut in Agendis fusissimè tractatur.

1. Cor. 14.  
Gen. 2.  
Mar. 19.

### XLVII.

Quid verò hisce ritibus novos conjuges admonere voluerint antiquio-  
res, patet ex Isidoro lib. 2. de officijs c. 19. Tertullianus de velandis virgini-  
bus Ambrosius in 1. Cor 11. c. Fœmina dum maritatur, ideò velantur,  
quia verecundia nuptias precedere debet, & ut noverint se semper maritis  
suis subditas & humiles esse debere. Item quod nubentes vitta invicem  
quasi uno vinculo copulantur, videlicet ideò fit ne compagem conjugalis  
unitatis disrumpant. At verò quod eadem vitta candido purpureoq;  
colore permiscetur, candor quippè ad munditiem vitæ, purpura ad sangui-  
nis posteritatem adhibetur? ut hoc signo lex continentiae tenenda ab utriusq;  
ad tempus admoneatur & posthæc reddendum debitum non negetur.

### XLVIII.

Item quod in primis negotijs annulus à sponso sponsæ datur, sit hoc ni-  
mirum vel propter mutuae fidei signum vel propter id magis ut eodè pis-  
gnore eorum corda coniungantur, unde & quarto digito annulus idem ins-  
eritur, quod in eo vena quadam sanguinis, ut fertur ad cor usq; perveniat.

Et hæc



XLIX.

Et he solennitates excepta benedictione & copulatione à sacerdote facta (quæ DEVM autorem habet, Gen. 2.) licet non sint de substantia Gen. 2. matrimonij & solus consensus sufficiat; tamen ne sub specie matrimonij fiat fornicatio, vel ne matrimonialiter juncti separentur, sanctæ observandæ sunt.

L.

Caussa efficiens conjugij principalis est DEVS primus ordinis huius Gen. 1. & 2. institutor, & lex de hoc ordine sancita. Non est bonum hominem esse solum Gen. 2. Matth. 19. Minus principalis legitimus consensus contrahens Gen. 24. tium, siue expressus, siue tacitus, qui tamen manus porrectione, vel alio signo declaratur, non coactus sed liber; & quæ illum consensum stabiliunt, consensus parentum.

LI.

Consensum enim parentum requiri, restantur non solum præcepta DEI, Honora patrem & matrem Exod. 20. item Exod. 21. & 22. ubi 30. q. 5. c. 1. & c. nostra-  
patribus elocandi liberos potestas assignatur Jerem. 29. 1. Cor. 7. Verum e-  
tiam exempla piorum. Iacob alloquitur Laban propter Rachelem, Genes. 29. Tobias, Reguel, Tob. 7. Simson parentes Jud. 14. tis 32. q. 2. c. Non omnis.

LII.

Qua tamen potestate parentes non debent abati, ne liberos vel ab honestis matrimonijs impediunt; vel ad hujusmodi à quibus abhorrent, cogant. Recte enim & pie dicitur: Quod patria potestas in pietate & non in atrocitate consistat.

LIII.

Unde apparet, quam sint in DEVM ipsum blasphemi imò ipsius Satanae mancipia, qui vel de hoc genere vitæ scurriliter loquuntur, ut Ethnici qui autorem ignorarunt. 1. Thess. 4. vel planè improbant & damnant, ut Tatiani, Saturniniani, Encratite, Valesij, Manichei, Hieracis hæresi 46. te, vel ut fidei Christianæ repugnans, ut Marcionite, Luciani, Priscilliane, vel in hypocrisi prohibent ut Innocentius 2. in concilio, Rom. c. 5. De cernimus ut ij qui in ordine subdiaconatus & supra uxores duxerunt aut concubinas habuerint, officio atq; Ecclesiastico beneficio careant. Cum enim ipsi templum vasa Domini & sacrarium Spiritus sancti debeant esse & dici indignum est, eos CVBILIBUS & IMMUNDITIIS deservire.

Tob. 8.  
Euseb. l. 4.  
c. 27. Irenæ:  
l. 1. c. 31.  
Epiphanius  
l. 3. 7. 2.  
hæresi 46.  
Tertull. ad-  
versus Mar-  
cionem l. 1.  
p. 187. l. 4.  
p. 187. l. 4.  
p. 294. 312.  
& 313.  
Sed

B



LIIII.

Dist. 26. C. Sed postremo huic hypocrite respondemus cum Innocentio: si crimen  
D. de poni- est uxorem ducere, erit autor in culpa, qui ut crimina committerentur in  
tur. Paradyso praecepit, cum ipse eos benedixit: Si vero non est crimen quod  
DEUS instituit nefas sit crimen appellare, &c. Ita etiã si est IMMUNDI-  
TIA, &c. Deo utiq; adscribenda, qui praecepit C R E S C I T E, &c.

L V.

Errant etiam ij qui consensum parentum non de necessitate sed tan-  
tum de honestate esse, contra tot, tam q; clara scripturae testimonia asserunt,  
aut saltem matris consensum non requiri iudicant. Nam Simson non so-  
lum patris, sed etiam matris consensum requirit. Iud. 14. & iudicabis  
hosce ipse Ismael, qui non sine matris consensu nuptias contraxit Gen. 21.

L V I.

Nam consensus adeo est necessarius, ut etiam dissensus re adhuc inte-  
gra sponsalia dirimat: & testatur scriptura infelicitatem semper eis fuisse  
proximam, qui contra voluntatem parentum uxores duxerunt, ut Esau G.  
26. & 27. Benedictio enim patris firmat domos filiorum, maledictio a.  
marrum eradicat fundamenta. Syr. 3.

L V I I.

Causa materialis sunt omnes homines, qui non nisi natura; vel singu-  
lari dono continentiae vel inhabilitate incidente excipiuntur. Matt. 19.  
1. Cor. 7. Unus quisq; habeat suam uxorem, &c. Honerabile sit apud O-  
M N E S coniugium. Heb. 13.

L V I I I.

Dan. 11. Ex quibus etiam Pontificiorum dogma demoniorum liquidissime ob o-  
v. 37. culos spectandum ponitur, qui etiam clericis & sacerdotibus coniugio inter-  
1. Tim. 4. dicunt, & non sentientes continentiae donum post votum contrahentes, ana-  
Dist. 27. C. 8 themate feriunt Concil: Trident. Sess. 8. de Cast. c. 9. Cuius prohibitionis  
Dist. 28. C. 2 fructus D. Bernhardus hoc modo describit: Tolle, inquit, de Ecclesia hoc  
Super can- norabile connubium & thorum immaculatum: nonne replet eam concubis  
tica serm. varijs, incestuosis seministuis mollibus, masculorum concubitoribus & o-  
66. mni deniq; genere immundorum.

L I X.

Conci. Tri- Neq; hos solos, sed etiam ipsum D E U M anathematizare non es-  
dent. Sessi- rubescunt, nam cum D E U S dicit. Non est bonum hominem esse so-  
one 8. lum &c. ipsi contra sic decernunt. Si quis dixerit, inquit, non esse  
Canone 10 melius ac beatius manere in virginitate aut celibatu quam iungi matris  
monio, anathema sit. Item cum Paulus concedit ut habeat uxorem,  
ita tamen, ut unam duntaxat uno tempore. An



LX.

An non igitur hic est rex ille, qui magnificatur adversus omnem DEVM & adversus DEVM Deorum magna loquitur & DEVM patrum suorum non reputat, &c. Dan. 11.

LXI.

Causa formalis est duorum coniunctio & in unam carnem (quod fit per maritalem affectum, liberorum generationem & omnium honorum communicationem) coalitio. Gen. 2. Matt. 19. Eph. 5.

LXII.

Ubi tamen non ita duorum intelligitur coniunctio, ut uno mortuo alteri non liceat matrimonium sive nuptias repetere. Id enim licitum esse testantur exempla Abrahæ reducentis Cethuram Gen. 25. Thamar. Gen. 28. Niecephor. Ruth Moabitidis Ruth 4. Abigail 1. Sam. 15. imò ipsius Iosephi sponsi Mariæ, qui antea Salomen habuerat. Est enim mulier alligata ad virum & vir ad uxorem quam diu vivit. Rom. 7. 1. Cor. 7.

LXIII.

Licere a. viduis alijs nubere non solum precipit Apostolus 1. Tim. 5. sed testatur etiam S. S. Ezech. 44. ubi sacerdotibus concedit ducere viduas sacerdotum.

LXIIII.

Peccant igitur gravissime, qui promiscuis utuntur nuptijs.

LXV.

Errant etiam, qui secundas nuptias cum Ablabio, Novationis Catharis damnant & prohibent, ut Martinus Papa.

LXVI.

Culpandi sunt & illi, qui plures simul ducunt uxores, ut Turca. Si DEVS voluisset plures ab uno duci, plures & Adamo creasset cui nec materia nec artificium defuit. Hæc enim vera est castitas coniugalis cum uxor & propria coniuge vivere, ut Sanctus Paphnutius monuit. Tripartita historia l. 2. c. 14.

LXVII.

Nec est quod quisquam obijciat & obtendat exempla Patriarcharum V. T. qui plures simul habuerint uxores; nihil n. sublevat ipsorum causam, cum non exemplis, sed legibus iudicandum sit, & hoc faciant impij quem idem modum testatur Syr. 33. Impius non patitur se monere & novit se excusare aliorum exemplis.

LXVIII.

Etsi n. varia ad excusandam patrum Polygamiã a varijs autoribus adducuntur rationes, utpotè 1. ipsos hoc fecisse ne vera Ecclesia à Cainitica sive Lamechitica supprimeretur, nullo tamen scripturæ testimonio suffulta hæc ratio corrui. Non n. quisquã præter impium Lamechum duas ante diluvium uxores habuisse legitur.

Prateolus in cata. hæreticorum p. 3.

August. ad Quod vult Deum.

Di. 28. c. 12.

27. q. 1. c. 8.

Tertul. l. de exhortum castitatis p. 649.

Dist. 31. c.

Nicæna.

Ge. 4. v. 18.



LXIX.

1. 1. Antiqui-  
ratum C. 11. 2. Nec cum historia scripturae consentit quod Iosephus scribit, Sa-  
ram DEI monitu in thalamum Abrahae adduxisse unam famularum no-  
mine Agaren, Ægyptiam genere, quo liberos sibi ex ea quæreret.

LXX.

32. q. 4. c. 3. 3. Neq; etiam scripturae consentaneum est quod scribit D. Ambrosius  
in libro de Patriarchis lib. 1. de Abrahamo. 4. Consideremus, inquit, pris-  
mum. quia Abraham ante legem Moysis & ante Euangelium fuit non-  
dum interdictum adulterium videbatur. Poena criminis ex tempore  
legis est, quæ crimen inhibuit. Nec ante legem ulla rei damnatio est  
sed ex lege. Non ergo in legem commisit Abraham, sed legem prevenit.  
DEVS in paradiso conjugium laudaverat, non adulterium damnaverat.  
Hæc ratio eò minus valet, quod adulterium ipsa principalis fuit diluvij  
causa, Gen. 6. Matt. 24. Luc. 17. Gen. 19.

LXXI.

4. Quod verò adijcitur ibidem à D. Ambrosio, quod non ardore a-  
liquo vagæ succensus libidinis, non petulantis formæ captus decore, sed quæ-  
rendæ posteritatis & propagandæ sobolis gratia cum Agar concubuerit,  
cum potiorem non inveniamus, cum clarissimis quibusq; Theologis admittimus,  
siquidem hunc Saræ fuisse finem liquidissimè constat. Gen. 26. v. 2.  
Rabel Gen. 30. v. 3. & 6.

LXXII.

1. de cohor-  
tatione ca-  
sitatis. 5. Tertullianus dicit Patriarchas idè duxisse plures uxores ne fi-  
lias suas infidelibus cogerentur in matrimonium tradere, apud quos fidem  
amitterent in venturum Messiam & damnarentur.

LXXIII.

Et dubium non est ipsos multa fecisse ac pertulisse spe potiundi pro-  
missi Messiae quod apparet Gen. 4. Luc. 10.

LXXIII.

32. q. 4. c. 7. 6. D. Augustinus l. 22. contra Faustum c. 47. & 48. sic excusat. Ob-  
ijciuntur Iacob quatuor uxores: quod quando mos erat, crimen non erat.  
Et dubium non est quin ex præpostera quadam Abrahae imitatione multi  
nuptias multiplicarint.

LXXV.

Interea autem non operose laborandum est, quo modo hæc Patri-  
archarum exempla excusemus, sed potius considerandum, quomodo DEVS  
pro



pro sua immensa misericordia, cum in vera agnitione redemptionis persisterent & alijs virtutibus excellerent, hac Ecclesia sua organa custodierit & studendum ut virtutes eorum quae praecipue in verbo praecepta & demonstrata sunt, imitemur & sic in omnibus respondeamus institutioni primae, ad quam nos Christus sub poena exclusionis regni caelorum revocavit, Matth. 19. 1. Cor. 6. Gal. 5.

### LXXVI.

Finalis causa est. 1. Propagatio generis humani & conservatio Ecclesiae Gen. 2. & 9. Tob. 8.  
2. Vitatio fornicationis 1. Cor. 7. 1. Thes. 4. Tantum de sponsalibus & matrimonio consummato; nunc quae dirimant utraq; dispiciamus.

### LXXVII.

Sponsalia dirimuntur. 1. Dissensu parentum re adhuc integra.  
2. Inhabilitate corporum siue impotentia coeundi, si manifesta sit.  
3. Morbis incurabilibus ante copulam incidentibus, ut lepra, paralyti.  
4. Errore personae; cum alia pro alia obtrudatur vel gravida ab alio Gen. 39. v. 23.  
pro virgine.

### LXXVIII.

Conjugium dirimitur. 1. Morte Rom. 7. & 1. Cor. 7.

### LXXIX.

2. Adulterio Matth. 19. Quam tamen divortij causam infringit.  
1. Si etiam ab altera parte commissum sit adulterium; tunc enim paria delicta mutua compensatione tolluntur. Unde recte monet D. Augustinus in lib. 1. de sermone Domini in monte c. 28. Nihil iniquius quam fornicationis causa dimittere uxorem si & ipse convincitur fornicari. Occurrit etiam illud: in quo alterum iudicas, te metipsum condemnas, &c. Rom. 2. 2. Si maritus prostituerit conjugem. 3. Si cognita fuerit ab alio, quem virum suum esse crediderit. 4. Si vi compressa sit. 5. Si maritus, postquam culpam uxoris deprehendit, cum ea consueverit.

### LXXX.

3. Desertione malitiosa. 1. Cor. 7. 1. Tim. 5. 8. &c. Quae vero observanda sint circa hanc divortij causam, haec potissimum recensentur.  
1. ut diligenter de utriusq; partis desertentis & desertae vita ac moribus inquiratur. 2. Tempus quamdiu absuerit. 3. An animo deserendi abierit.



4. Ut privatim admoneatur iuxta regulam Christi Matt. 18. 5.  
Ac deniq; ter publicè citetur.

### LXXXI.

Affertur etiam à quibusdam sterilitas & apud Ethnicos quidem permissum esse divortium propter sterilitatem testantur exempla Carbylij & aliorum, qui uxores ob sterilitatem repudiarunt, sed à sanioribus rectè nature ius violasse dicuntur. Nam cum sterilitas aut sit peccati pœna, ut in Gen. 15. 16. 17. Abimelech Gen. 20. v. 18. aut probatio fidei: ut in Abraham, Isaac, Rachel, Hanna. Certè divortijs non est corrigenda, hoc enim esset sese DEO De bono opponere & absq; ipsius spiritu consultare Es. 30. nec valeret ad impetrandam gratiam, Iudith. 8. præsertim cum DEUS minitetur. Os. 9. v. 16. c. 16. & c. Quod & si genuerint inter se iam amantissima uteri eorum. Ideoq; res 7. 32. q. 4. Etè dixit D. Augustinus. satius esse defungi sine liberis quàm ex illicito coitu stirpem querere.

c. 8.  
32. q. 7.  
c. 27.

### LXXXII.

Quia enim solus DEUS est qui claudit & nemo est qui aperit ut Iacob rectè Racheli respondet Gen. 30. v. 2. Gen. 20. v. 18. ad ipsum solum pœnitentia & precibus revertendum est, Os. 6.

### LXXXIII.

Neg; votum impedit aut dirimit coniugium. Quia ad impossibile nemo obligatur, & in impijs votis rescindenda sit fides. Qui enim præstat quod impiè vovit sine iuramento, duplicat scelus, quia & impiè vovit & impiè votum præstitit. Qui verò præstat quod impiè vovit interposito iuramento, triplicat malum, quia & impiè vovit & impiè iuravit & impiè quod vovit præstitit.

In l. de bono viduitatis ad Iulianam viduam c. 10.

Dist. 27. c. 2.

Epistol. 11.

Id quod etiam D. Augustinus confirmat, dum scribit: Quidam nubentes post votum asserunt adulteros. Ego autem dico quod graviter peccent, qui tales diuidunt.

### LXXXV.

Cui etiam consentit D. Cyprianus. Si se ex fide Christo dicaverunt virgines, inquit pudicæ & castæ sine ulla fabula perseverent. Si a. perseverare nolunt vel non possunt, melius est ut nubant quam ut in ignem delictijs suis cadant.

Stat



### LXXXVI.

Stat igitur immotum hoc fundamentum, Quos **DEVS** coniunxit  
homo non separet exceptis tribus causis pramemoratis

### LXXXVII.

Vnde etiam in solentia Romani **Papae** apparet, qui etiam contra **Dei** Dan. 11.  
2. Thes. 2.  
ordinationes ius dispensandi usurpat.

### LXXXVIII.

Etsi enim necessitate ita exigente, dispensationes de iure humano pos-  
sunt fieri, quod non pugnat cum iure divino scripto. Notandum  
tamen ne dispensatio sit dissipatio & conuulsio legum divinarum, ut cum  
duorum fratrum liberis conceditur coniugium. Gen. 24. Num. ultimo  
Jos. 15. Iud. 1. D. Bernhar-  
dus.

### LXXXIX.

Quia veritas est quod **Papa** non possit dispensare super eo quod novo  
& Veteri Testamento prohibitum est. Non enim creatura contra man-  
datum creatoris dispensare potest, quod fit, ut **Papa** non possit dispensare  
contra preceptum divinum.

### XCI.

Vnus igitur solus ac verus **DEVS**, autor et conservator honesti coniugij  
sua benedictione omnem legitimum thorum fecundet piorumq; coniu-  
gium crucem leniat ac subleuet ac **Satanae** **Asmodei** conatus cle-  
menter impediatis Amen.





*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and includes some faint headings or section markers.]*





99 A 6911

ULB Halle 3  
003 139 565




52 1017


*[Faint handwritten notes]*











DISPUTATIO XXIII.  
De Coniugio & Divortio  
Quam, divina fauente gratia.

*Sub presidio*

REVERENDI  
ET CLARISSIMI VIRI,  
D. SAMUELIS HUBERI BERNE-  
SIS HELVETII S. S. THEOLOGIÆ DO-  
ctoris ac Professoris in Academia VVite-  
bergenfi, examinandam  
proponit,

M. ADAMVS VEGETIVS,  
*Gladenbachensis Hassus.*

28. Novembris.



WITEBERGÆ,  
Typis VVolffgangi Meifneri,  
M. D. XCIII.